fronte et nobilitate rudes, incessu virili, et vasto: de rubris vero quid dicam? sint sane ibi formosuli, et ut contendis sint elegan=tuli, at diem in effingenda caesarie ad speculum consumunt, ne quis annulus aut cirrhus incompositus, ne frons parum candida, imò ne frontem omnino habeant: quod omnia, dices unde probas? qui scis, a quo didicisti? a te hesterna die, quando tuos Narcissulos, Hyacintulos, Adonides, quae probra sunt generis humani tantopere commendasti, quamquam, nescio qua Au=thoritate illorum exemplo rubras barbas commendasti, qui non habuerunt; Porrò caeterum nihil est, quod nigris turpi=tudine obijcias, quid enim? an nobilissima humanae fabricae pars est oculus? ut nigri semper coloris illum esse fatearis necesse est, quod si negas, ne nimium tecum litigare videar concessarim libenter: Sit raro niger, at profectò nigros uti elegantissimos sacra illa, et divina sponsa deprædicat. Ubi enim dilectum suum speciosis=simum inter filios hominum describit sic ait: Oculi tui sicut columbae; et columbarum oculi nonne sunt nigri, habeant iam sane, et superbiant in istis rubris barbitijs rubri, non invideo ipsis sordes: obliquent suas barbas nunc in arcum, nunc in cirrhos, crispent, in araneam producant, discriminent in tridentem, quid aliud hoc est, quàm in sordibus superbire, nihil enim aliud est barba, at nigri meritò deprædicant nobilissimam oculi fabri=cam, in cuius elegantiam quidquid habuit Natura profudit lon=gissimè, nam quid oculo elegantius sit, non video, ille est enim Sol in hoc hominis microcosmo, atque alter animus, quis neget? accenditur in ira, in tranquillitate animi blanditur, ridet in a=mante, nubilatur in hoste, scintillat in fortibus, in timido lan=guet